

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Festing

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Festingius, Ad
Pias Meditationes Super Gloriosissima Resurrectione Domini Nostri Jesu Christi
Studiose instituendas, Secum Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos, eo
quo par est, studio & affectu excitat & adhortatur [P.P. Sub Sigillo Rectoratus,
ipso festo Paschatos Anno Domini MDCXC]**

Rostochii: Wepplingius, [1690]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn734002343>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1690. Oster.

A. 1256. 60.

091.1690

PROGRAMMA
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
**JOHANNES FE-
STINGIUS.**
AD PIAS MEDITATIONES
SUPER
GLORIOSISSIMA
**RESURRECTIONE
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI**



Studiose instituendas,
Secum,

Omnes Omnia Ordinum Cives Academicos,
eo, quo par est, studio & affectu excitat
& adhortatur.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Acad. Typogr.

M. 1256⁶⁰



Ultiplex considerandi ratio videtur, ubi ab antiquitate ad nostra usque tempora celebratissimum illuxit festum Paschatis, cuius causa eruditorum industria laborat & pietas non destituit laetissimam meditandi materiam. Notissima sane inter eruditos res est, quantopere moverit Patrum animos ea quae de tempore Paschatis celebrandi fuit controversia, dum alii in Asia eodem cum Judaeis die np. XIV. luna colendum, alii in Ecclesia Romana in diem dominicum referendum censuerint. vid. Euseb. lib. 6. c. 21. & seqv. Cent. Magd. 2. c. 8. init. ii. cent. 2. c. 9. p. m. 159. seq. Francisc. Bernardinus Ferrar. lib. de antiquo eccles. Epist. genere, c. 2. Car. du Fresn gloss. & Hoffm. lexi. continuat vsc. Pascha. add. program. Rectorale Rostoch. in fest. pasch. Ann. 1688. Hoc intuitu si nostra accederet industria, qui licere putaremus ut actum ageretur, aut quam modo ulla spe placitum crederemus officium quod inter doctos supervacuum, inter alios nullum ac inane faciliter existimabitur? Liceret aequidem considerare amplius hanc dissensionis antiquae historiam, ubi judaizare Christiani ullo videri noluerunt ritu, unde speciem Sycretismi nullibet tolerare velle antiquae Ecclesiæ sententiam fuisse sat expeditum est. Nec minus poterat eleganti inde nobis doctrinam innoscere, quomodo pro concordia rebus ipsis in indifferentibus contra ceteros disputaverint, ubi in sanctissimo demum Concilio haec res agitata nec non superinde apud Hispanos, Francos, Anglos, Scotos, aliosque disputatum est. vid. Covarrav. tom. 2. var. resolut. lib. 1. c. 17. de decimis. Cent. Magd. 7. cap. 9. ubi de Synodo Britann. At magis, quid potestatis magistrati politico hic relictum sit, exemplum docet in auctoritate Constantini Magni, qua in Concilio Niceno haec res sopia est. Et licet fuerint acerrima dissidia accusataque invicem puritas & sincera religio, dum tanquam Dei causam tuituri adversus πονηρούς διεγένετος vel quartadecimanos (ut vocabantur) admodum duri, eos tanquam heterodoxos a communione pacis & sanctorum vinculo excludere voluisse nisi sunt: Attamen postquam ad Cæsarem & Synodum delata causa, non damnati sunt qui in

in re adiaphora durius egereant, sed citra censuram, cuius petendi
facultas illis, quibus cum durius actum, data non est, concordiae sola
ratione habita id Imperatori placuit, ut qui pauci essent alios plu-
res existentes imitarentur; quanquam iustissimum insuper in hac
causa esse arbitratus sit, id maximè velle quod & accurata ratione
appeti, & cum Judæorum perfidianihil habere confortii vide-
retur. *Socrat. lib. 5. cap. 22. Theodoret. lib. 1. cap. 10.* Adeò non nefas
existimatū est succumbere in causa, quæ auctoritatem habuit in
tantis Apostolorum Johannis, Philippi, nec non Polycarpi Mar-
tyris exemplis, ubi constabat, hanc diversitatem fuisse Aposto-
lorum temporibus, sed ne animadversam quidem, nedum re-
prehensam ab aliquo. quâ ratione hîc de libertate Christiana
commentantes Centuriatores Magd: cent. 2. cap. 8. impr. nec au-
tores Apostolos fuisse ceremoniarum notant, nec ad aliquas
certas observations ulla Ecclesiæ alligasse: nec diversitatem
quidem externorum rituum, si uspiam esset, pro libertatis Chri-
stianæ jure admodum curasse. add. *Socrat. histor. cap. 21.* Sed
tanti res momenti videbatur ad unitatis consensionem sen-
tentiam in lucem producere, nec quicquam amplius ad dis-
sensionem aut controversiam relinquevere: ad quem ferè modum
Ecclesiæ scripsit Constantinus M. ap. *Theodoretum lib. 1. c. 10.*
Verum enim verò ad ulteriora nos provocat sancta pietas, &
inter publica Paschalis festi gaudia exultare mens nostra me-
ritò magno desiderat desiderio. Celebratum nobis fuit Pascha
σαρκωσιμον, ubi (qvod ait Arnobius *commentar. in Psalm. David.*
22.) seminavimus lacrymas patientis Domini; nunc Pascha
σωτηρισμον est, *Pascha resurrectionis*: hinc metamus gaudia re-
surgentis. O quantopere descendens ad sepulcrum Servato-
ris pia mens indigna meditatur mortis claustra, qvibus corpus
cogitat detentum ejus, qvi, dum intravit mortis iter, opem sa-
lutis dedit, nobisq; rupit tristia infernæ legis vincula. Facile
eorum stultitiam magnopere atque ad stuporem usque cum Iffi-
doro Pelusiota l. 2. Epist. 212. miratur pietas, qvi qvam ob cau-
sam Christus ante tres dies resurrexerit, percunctantur, cum ta-
men satis diu funeris exequias passus videatur vita autor, qvi ha-
buit parascevem, habuit sabbathum, usque ad solis occubitum

A 2

ac

ac post sabbatum resurrexit, attacto quidem utroque die, me-
dio autem expleto atq; confessio. Potius in meditatione sepul-
turæ dominicæ subita hæc vota suboriri poterant sicut apud
Fortunatum leguntur lib. 3.

Tertia lux rediit, surge sepulte meus.
Non decet ut vili tumulo tua membra tegantur,
Non premium mundi vilia saxa premant.
Indignum est, cuius clauduntur cuncta pugillo:
Ut tegat inclusum rupe vetante lapis.
Linteal tolle precor, sudoria linque sepulcro,
Tusatis es nobis, & sine te nihil est.
Solve catenatas inferni carceris umbras,
Et reuoca sursum, quicquid ad imaruit.
Redde tuam faciem, videant ut secula lumen:
Redde diem, qui nos, te moriente, fugit.
Sed plane implasti remeans pie victor adorbem,
Tartara pressa iacent, nec sua iura tenent.
Inferus insaturabiliter cava guttura pandens,
Qui rapuit semper, fit tuapräda Deus.
Eripis innumerum populum de carcere mortis:
Et sequitur liber quō suus autor abit.
Evomis absorptam trepidè fera bellua plebem,
Et de fauce lupi subtrabit agnus oves.
Hinc tumulum repetens post tartara, carne resumia,
Belliger ad cœlos ampli tropæa refers, &c.

Salve Redemptor sacratissime! qui in tribus diebus excitasti tem-
plum quod solutum erat. Tepromissi fidem sat bene & (si ci-
tius præstitum diceretur) magis ex plentem admiratione prose-
quimur. Lætemur & exultemus in Domino. SURREXIT
CHRISTUS HODIE: VERE SURREXIT HODIE. Ecce
nobis (sicut verba sunt Eusebii Episcopi Gallicani *de Pascha bo-*
mil. 9.) inferorum dives spoliis tertia dies redditæ est, excelsi-
tudo de profundis, lux de tenebris, vita de mortuis. Rideas licet
Judæ

Judæe atque gentilis (ita glorioſiſſima reſurrecțio fari docet ſe-
cundum Ambros. in Symbol. Apoſtol. c. 14.) qvod in eo ſpeim no-
ſtram locemus, quem crucifixum mortuumque profitemur;
Nos tamen in iis vulneribus gloriamur, per quæ nos placere re-
demptori noſtro, quem tu ignoras, intelligimus. Verbum
enim crucis ut ait Apoſtoliſ, pereuntibus qvidem ſtultitia eſt, ſalviſ
autem futuriſ virtus Dei & ſapientia eſt. Ecce Pilati judicis faci-
muſ mentionem, à quo judicatus eſt qui eſt mundi judeſ futuriſ.
Nec eſt qvod dignitatē fidei noſtræ minuant poenæ illius beati
corporis, qvas celer reſurrecțio conſecuta deſtruxit. Neque
enim hic fidei confeſſionisqe noſtræ finis eſt: nam qvid ſequatur
accipito: Tertia die reſurrexit à mortuiſ: ascendit in caelos, ſe-
det ad dexteram patris: inde venturus eſt judicare viros & mortuoſ.
Equidem huic, quam ab S. Ambroſio diſiſimus, meditationi
per quam commode accedit qvod in verbiſ Eusebii Epifcopi
Gallicani de paſcha ſerm. II. æqve luculenter accepimus; Adeò
poſtquam homo improbam dexteram vetitæ arbori importu-
nus ingeſſerat, extendendæ pro illo innocentes in cruce manus
erant: dum per lignum poena contracta, per lignum culpa re-
dimenda erat. Sed prohibiti gulfus male blanda ſvavitate de-
ceptus erat; expianda igitur delectationiſ eſca, aceti & fellis in-
juria. Sed ſuperbiæ culpa præceptum ſolverat & in ambitum
divinitatis exarferat. Hic merito ſubliſtimus in verbiſ Epifcopi
quæ tanquam ex ore Salvatoris promanantia proponit, dum ipſe
in iis apud illum Salvator loquitur. Admiramur autem ineſſa-
bilem misericordiam ubi divinitas ipſa humiliavit ſe pro ſuper-
bo, ubi tradidit ſe ipſa majestas pro crime majestatis.
Nunc reſurrexit à mortuiſ cuius gloria (ut ferè loquitur S. Ma-
ximus Taurinensis homil. paſch. 2.) penetrat omnia, universa
continet, cœlum & terram tartarumq; complectitur. Quid ſtul-
ti nunc deſpicien t humilitatem per quam à Deo fuſcitatus ad
vitam eſt qui per ſuperbiā à diabolo perſuafus fuerat? Egre-
giè Auguſtinus contra Iudeos & Paganos lib. 4. cap. 13, de Salvato-
ris morte: Morte ſuā uno veriſimo ſacrificio pro nobis oblato qvie-
qvid culpatum erat, unde nos principatus ac potestateſ ad luenda ſup-
plicia jure detinebant, purgavit, abolevit, extinxit, & ſuā reſur-
rectioſ.

A 3

rectioſ.

*receptione in novam vitam nos prædestinatos vocavit, vocatos justifica-
vit, iustificatos glorificavit.* O mors ubi est aculeus tuus : infer-
ne ubi est victoria tua ? SURREXIT CHRISTUS HODIE :
VERE SURREXIT HODIE. Contremiscit Satanus qui
sacras damnandus extendit manus in arborem vitæ, unde du-
plici (ut iterum ait Eusebius) beneficio hominem sanguis cruci-
fixi & scelus crucifigentis absolvit, passioq; dominica dum il-
lum damnat, hunc redimit. Contremiscit Satanus omnisq; in-
fernali cohors meminisse horret, quâ hora Salvator inclinato ca-
pite emisit spiritum, corporeq; in cruce derelicto anima simul
cum divinitate ad inferna spolianda descendit. ita Euseb. Emissio-
nus Gallicanus Episc. in homil. d. resurrect. in 8. cap. ad Rom. serm. 13.
Per virginem natus ex Spiritu Sancto (ita in verbis Hilarii lib. 4.
de Trinitate meditamus) adversantes nobis inimicosque virtutis
ligno passionis affigens, mortem in inferno peremit : sed spei
nostræ fidem resurrectione confirmavit, corruptionem carnis
humanæ gloria corporis sui sustulit. Merito hinc Chrysosto-
mus *Hoc stupendum, inquit, est quod trophyum hoc cum carne*
fixit, ita ut ea ipsa caro, que millies à peccato dejecta suppressaque
fuerat, tam illustrem adversus peccatum victoriam tulerit. O can-
temus igitur laudes Redemptori nostro, & glorificemus nomen
eius qui supra omnia exaltatus nostræ salutis spes & fiducia est.
Exultemus & lætemur in hoc die quem fecit Dominus.

Chorus nova Hierusalem,
Novum meli dulcedinem,
Promat colens cum sobriis,
Paschale festum gaudiis,
Quo Christus invictus leo,
Dracone surgens obruto,
Dum viva voce personat,
Amorte functos excitat.
Quam devorarat improbus
Prædam refudit tartarus,
Captivitate libera
Jesum sequuntur agmina.

Trium-

*Triumphat ille splendide,
Et dignus amplitudine,
Soli polig patriam
Unam fecit rempublicam.
Ipsum canendo supplices,
Regem precemur milites,
Ut in suo clarissimo
Nos ordinet palatio.*

Ita ex hymno Fulberti Episcopi Carnotensis edocti sumus. Ecce mortem usq; ad infernum persecutus est Salvator noster, glori- osiusq; prostravit captivandam in regno suo & magnificentius in suis triumphandam; qvod ait Eusebius Emissenus de Pascha bo- mil. 9. Sed hic hic Victor ac Triumphator verè glorioissimus HODIE SURREXIT: VERE SURREXIT HODIE. ô

Salve festa dies, toto venerabilis ævo!

Meritò cum *Sedulio* læti meditamus: Si per mortem Christi salvati sumus Deo, quantò magis in ejus vita glorificabimur, si eam fuerimus imitati? Qvi si, ut reconciliaret nos sibi Deus, fili- um morti tradidit: quanto magis reconciliatos salvos faciet in vi- ta ipsius, cum resurrexit à mortuis? *in c. 5. ad Rom.* Hodie resur- rectio DOMINI facta est, & sanctissima ejus in paschali gaudio celebratur memoria. Hæc secundum Maximū Taurinense homil. 2. de Feste paschæ, sive mavis secundum Ambros. in Psalm. 117. (ple- ræque enim Maximihomiliae tribuuntur Ambrosio, quamvis secundum Bellarminum de scriptorib. Ecclesiast. non magnus sit error, cum ulterque auctor sit doctus, antiquus, & sanctus) defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. Illuxit festum, in quo (sicut Constantinus M. scripsit ad Ecclesias ap. Theodoreum lib. 1. cap. 10.) spem immortalitatis accepimus. Non tristior qvām in morte hominis cogitatio nisi resurrectionis fiducia tristitiam mitiget & pià in lætitia recreet animam. unde Apostolus: *Si in vita hac spem in Chri- sto tantum fixam habemus, inquit, maximè miserabiles o- mnium hominum sumus. I. ad Cor. 15. v. 19.* Adeò (qvod ait Chry- sostomus exposit. in Matib. homil. 42.) in omni re, aut actu, si- ve corporali, sive spirituali, agendi virtus spes est præmii fu- turi

turi. Qvi enim arat (pergit) arat ut metat: qui pugnat, pugnat ut vincat. nam cum sit ita difficile in hoc mundo servare justitiae sanctitatem, quis contentus esset, adversus se ipsum quotidie luctamina exercere, nisi ad spem respiceret resurrectionis? Hactenus Chrysostomus. Malè habuit ethnicos cum viderunt bonos plerumque miserios, malos beatos esse. Unde variis & lubricis casibus soluta legibus fortuna dominari videbatur (vid. M. Minucius Felicis Octav. ex edit. Ouzelij. p. 42.) de qvâ Plin. lib. 2. omnium vocibus fortuna sola, inquit, laudatur, sola arguitur. Seum convictis colitur. At verò alia nobis spes superest in futura resurrectione: cuius ergo elegantia verba sunt Chrysostomi in homil. de resurrectione ex vers. latin. qvibus gratiam extollit contra cæcitatem impiorum & gentilium eorumve qvi malorum impatientia feruntur & divinam providentiam accusant. hic ita: *At qui de resurrectione bene senserit, ait, & qui sapienter disputare noverit, facile quicquid id est blasphemie diluet, & illis tam stomachabundè disputanibus, dicet: Compescite linguam vestram, & aduersus Deum, qui nos fecit, eam ne exacerbitis.* Non enim res nostra in hac solùm vita durant, sed festinamus ad vitam aliam muliò longiorem, imò finem minimè habentem. Et ibi omnino pauper iste, qui justè vivit, laborum suorum mercedem accepturus est: intemperans autem & maleficus, malicie sue, illiciteq; voluptatis daturus est pœnam. Proinde, non à presentibus solum de divina providentia sententiam feramus, sed & à futuris. Presentia certamen quoddam sunt, & labores, & studia: futura verò, præmia, corona, & gloria. Evidem arrabo nostræ salutis & solitorum certissimum argumentum est Salvatoris resurrectio: qvò referendum illud Apostoli, qvod ex parte suprà allegatum est: *Si in vita habet spem in Christo tantum fixam habemus, maximè miserabiles omnium hominum sumus: Nunc autem Christus surrexit ex mortuis, primitiæ eorum qui dormierant, sicut. postquam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum.* Dicitur Hugoni Eteriano resurrectio Christi chirographum universalis omnium resurrectionis. Nec minus ea spes firmare ex eo qvod Apostolus Coloss. 1. 18. scripsit: *& ipse est caput corporis Ecclesie, qui est principium, primogenitus ex mortuis;* & sic in omnibus ipse primus cenens. Si igitur Chri-

Christus cap ut Ecclesiæ & primitiæ dormientium resurrexit.
Ergo & cetera ejusdem corporis membra resurgent, & quem
admodum bene Chytræus in argumentis de resurrectione mortuorū p.300,] reliqui manipuli frugum in agro Dei satarum, in
horrea cœlestis vitæ inferentur. Hanc in rem memoranda
qvoq; est sententia S. Maximi qvi homil. 3. de festo Paschæ ita:
*Est in illo Christi homine uniuscujusq; nostrum carnis & sanguinis
portio: ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo: ubi domi-
natur sanguis meus, me sentio dominari: ubi glorificatur caro mea,
me gloriosum esse cognosco. quamvis enim peccator, de hac tamen
communione gratia non diffidat: quia et si peccata nos prohibent,
substantia nos requirit: et si delicta propria nos excludunt, natura
communio non repellit: nam propter bonitatem divinitatis, pecu-
liarem nobis Salvator debet affectum, scilicet quia sicut Deus noster
in ipso est, ita & sanguis noster in illo est. misericordiam igitur
mibi debet prestare divinitas: necessitudinem exhibere debet affinitas.*
Amabo, qvis angetur animo qvod mortali corpore cinctus sit?
habet enim spiritum Dei (qvod ait Theophylactus) qvi excita-
vit Christum ex mortuis. æqve autem ac illum excitavit, sic &
nos omnes resuscitabit, imo vivificabit.

Quæ rogo sufficient nobis solatia, vel que

*Sanabit fessos jam requies animos,
Si nec tanta potest ægris medicina mederi,*

Quæ vitas obita morte redire docet?

Mæror abi, discede pavor, fuge culpa, ruit mors,

Vita resurrexit, Cbristus in astra vocat.

Morte mea functus, mibi mortuus, & mibi vîctor,

Ult mors peccati sit mibi vita Dei.

ita Paulinus de obitu Celli pueri ad Pneumatium & Fidelem
parentes carm. 15. Quid expavescis mortem caro nostra, aut
quid ingemiscis hujus corruptioni tristis anima? Requiesce
in hac spe caro misera: (sic verò Bernhardus loquitur decla-
mar. de bonis deserendis) qui propter animam venit, pro te quo-
que venturus est: qvi reformavit illam, tui qvoq; non oblivi-
scetur

B

scetur in finem. Anima autem meritò cogitat, sicut legitur
apud Prudentium contra Marcionem.

Nosco meum in Christo corpus consurgere, quid me
Desperare jubes? veniam, quibus ille revenit
Calcata de morte viis: quod credimus, hoc est.
Et totus veniam, nec enim minor, aut alius, quam
Nunc sum, restituar: vultus, vigor, & color idem,
Qui modò vivit, erit, nec mox vel dente, vel ungue
Fraudatum revomeret patefacti fossa sepulcri.
Qui jubet ut redeam, non reddet debile quicquam,
Nam si debilitas redit, instauratio non est,
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,
Quod truncavit edax senium populante veterno:
Omne revertenti reparata in membra redibit.
Debet enim mors victa fidem, ne fraude sepulcri
Reddat cursum aliquid, quamvis jam curta voraria
Corpora, debilitas tamen & violentia morbi
Virtus mortis erat, reddat quod particulatum
Sorbuerat, quocunq; modo, ne mortuus omnis
Non redeat, si quid pleno de corpore desit.

Pellite corde metum mea membra, & credite vos mei
Cum Christo reditura Deo. nam vos gerit ille,
Et secum revocat, morbos ridete minaces,
In strictos casus contemnите, tetra sepulcra
Despuite: exurgens quod Christus provocat, ite.

Qua non lætitia exultabit ac triumphabit anima nostra, post-
quam de futura resurrectione ac unione corporis per dominici-
cam resurrectionem certa est, ubi sanctorum corpora sine
omni vitio fulgida sicut sol resurgent præcisissimis omnibus defor-
mitatibus, ubi non solum vita nobis dabitur in illa resurrectio-
nis immutatione sed & gloria. Attollamus ad eum corda at-
que faciem qui resurrexit gloriosus à mortuis & sedet ad dex-
teram Patris. Simili prorsus modo extollentur boni supra coe-
los

Ios futuri cum Christo, sicut ipse dicit Job. 17. Pater, volo
ut ubi ego fuero, & bi meum sint & videant gloriam meam
Quantum eheu humanæ imbecillitatis argumentum est, non
memorari resurrectionis promissum sed mortis scrutari judici-
um! Quare fides humilis & ignara quærit quod habet? quam-
obrem obliviscitur quod docetur? Hodie certè cum festina
est ad obsequium pia fides non amplius imperfecta esse poten-
tit ad credendum. Non anxia esse debet de Dominicæ car-
nis injuria, sed certa esse de resurrectionis gloria. Sic tange-
re licet Salvatorem, quia jam ascendit ad patrem, hoc est, quem
admodum Ambrosius serm. in fer. 5. post dominic. resurrectionem.
(quem in hac meditatione sequimur) inquit, quia apud fidem no-
stram necdum detinetur in sepulcro, nec quantum in nobis
est adhuc humilibus immoratur, adhuc inhæret terrenis, qui
fide nostra elevandus ad cœlum erat. *Quid me festinas conti-
nere ut Dei filium*, secundum S. Ambrosiu interpretationem
Christus ait, quem redeuntem ad patrem mentis devotione non se-
queris? Unde nos ipsi meliora docti per sanctam meritò &
sinceram fidem exequimur quod dicitur: *Quisquis igitur, vult
contingere dominum Salvatorem, prius illum debet fide sua ad
dexteram divinitatis imponere & credulitate cordis collocare in ce-
lestibus potius quam inter defunctos inquirere.* Hac ratione fide-
les læti in adversis dum resurrectionem gloriosam Domini con-
templantur & contingunt eum, magna freti Salvatoris gratia,
& æternæ ac certissimæ per ipsum qui surrexit, vivit & tri-
umphat, salutis fiducia, *quid in exiguis laboribus, inquiunt, pro-
missa eris camur eterna? annon umbra, argum somnum sunt presen-
tia, si cum futuru conferantur? quanquam hæc quodq; infra verita-
tem comparatio est: qui enim potest finitum evum cum infinitis
componi? quo pacto cum semper nis mundus, qui mox finiendus sic
committeatur? ita apud Theodorum Studitam serm. 28. Adeò
in conclusione Psalmi 21. similiter Cassiodorus scripsisse legitur:
*Iste Psalmus est, quem nobis paschali munere solenniter decantat Eccle-
sia, ut salutariter instruamur, in humanis rebus etiam beatos tem-
poraliter ex aliquâ parte à Domino derelinqui, cum tamen eos ad bo-
na eterna tuitionis sua virtute perducat.* O lætissima igitur hæc
nostra*

nōstra tempora! Ó venerabile festum Paschatos, in quo tanta
nobis gaudia, omnimoda malorum solatia, ineffabilisque spei
momenta in resurrectione Salvatoris confirmata sunt! Hic est
dies quem fecit Dominus. Bonum planè dies est (quod ait S. Maximus
bonil. 3 d. festo pascha) qui lucem intulit universis; verum non bu-
jus seculi lucem, sed resurrectionis aeternæ: lux enim ista non
caliginem noctis detulit, sed mortis tenebras amputavit. Bo-
nus, inquam, dies; & melior hic, quam ille, in quo primum
mundus eniuit: ille enim hominibus ad laborem creatus est,
hic factus est ad quietem: ille mortem meruit, hic formidinem
mortis evasit: ille bonis malisque communis est, hic proprius est
justorum: illius diei lux tenebris sepelitur, bujus diei splendor
etiam sepulturas illuminat: ad postremum illius diei lucem
mortui non vident, bujus diei lumen etiam defunctis emicuit.
Lætemur ergo (sicut amplius exhortatur S. ille Episcopus dicto
loco) in hac die quæ & vivos circumfulget & mortuos vivifacit
& venturos illuminat. Hodie orta lux est splendidissima, Lux
Christi orta est, quæ (ut itidem Maximus bonil. pasch. 2 sive
Ambros. in psal. 117) non parietibus obstructuit, non elementis
dividitur, non tenebris obscuratur. Lux, inquit uterlibet, Christi
orta est, dies sine nocte, dies sine fine, ubique splendet, ubique radizat, ubique
non deficit. Ipse nunc sol oriens JESUS CHRISTUS auctor
luminis resurrexit, qui attribuit vivendi principium, lucis exor-
diuum. Hic ipse Ego sum, inquit, dies, qui per me ambulat, non
offendit. Job. 17. Qvis tantæ gloriae memoriam non summis in
gaudiis repetitur? Qvis non venerabitur hoc festum Pa-
schatos quo resurrectionis dominice triumphum cantat Eccle-
sia? O iterum.

Salve festa dies, toto venerabilis aeo.

Evidem Hugo Grotius venerabile festum Paschatos νοῦς ζε-
χει festum appellat in N. T. ad Matth. c. 17. Nec immerito
tanti fecit vir magnus festum in quo laudibus ornando tanto-
pere laboravit omnis semper Christianorum pietas. Sic Ma-
grus dies περὶ ἡμέρας dicitur festum Paschatos, quemadmo-
dum

dum Patres in Concil. Ancyra. can 6. appellant, & alii unde pluribus in locis nomine hoc insignitum probat Carol. du Fresne glossar. voc. dies magnus. Nec minus diem resurrectioni consecratam dominicæ reginam & principem omnium dierum laudavit Ignatius in epistola ad Magnesianus. quo eodem enconio ornat Gregorius Nazianzenus orat. funebris in Patrem 19. dum βασιλίσσα τὴν ἡμέραν ἡμέραν vocat. Qvare amplius Nazianzenus orat. 42. in pascha 2. (sicut legitur in versione latina Leonclavii) *Hac nobis*, inquit, *festivitatum festivitas & celebritatum celebritas* (εοῖσσαν ἡμῖν ἐόρτην ἡγε μανῆς πανηγύριαν) tanto ceteris omnibus non solum humanis & humi defixis, sed iis etiam, quæ ipsius Christi sunt, ac propter ipsum celebrantur, antecellens, quanid sol stellis antecellit, Dicitur Solennitas solennitatum apud Gregorium M. bomil. 22. quam in rem quomodo festum semper Christianis præcipuum habitum sit, ex Procopio lib. 1. de bello Persico c. 18. & Eustathio in vi. tā. S. Eutychii P. & P. plura in Carol. du Fresne glossar. voc. Pascha. Quid autem non dicam de tantis elogii quibus in libris Jurisprudentiae nostræ insigniuntur dies Paschales? Diem Paschæ, dicit Valentinianus Senior l. 3. Cod. Theodos. d. indulgent. crim. se intimo corde celebrare. Idem l. 4. cod. Pascha celebritatem vocat Valentinianus Jun. l. 6. ibid. Paschalis letitia diem; idem l. 8. religionem anniversarie observationis; & l. 8. (quæ in Cod. Justin. est l. 3. de Episcop. audienc.) gaudia & letitiam communem celebrat, mox dies sanctos vocat. Ceterum admirandam planè & propæ continuam, primis illis temporibus à Paschate ad Pentecostem usq; solennitatem fuisse compertum profitemur cum Alba spinæ obser. lib. 1. c. 15. qva ratione præter illud qvod ibidem ex Tertulliano allegatur, ex hujus libello de baptim. cap. 19. in fin. Pentecoste animadvertisit ordinantis lavacris latissimum spatum fuisse, qvo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia Spiritus Sancti dedicata, & spes adventus Domini subostensa, qvod tunc in cœlos recuperato eo, angeli ad Apostolos dixerunt sic venturum quemadmodum & in cœlos concendit, utiq; in Pentecoste. Et amplius idem Tertullianus de Jejun. advers. Physic. c. 14. Si omnem, inquit,

in totum devotionem temporum & dierum & mensium & annorum erat
sit Apostolus, cur Pascha celebramus anno circulo in mense primo?
cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus?
In eo omnem operam actionemq; fidelium versatam fuisse Al-
baspinæus innuit *diel. loc.* ut summâ cum animi voluptate, Chri-
sti Domini laudes ac præconia fundendis concinendisque hy-
mnis ac canticis in cœlum efferrentur. Tanta semper in me-
moria gloriose Resurrectionis Dominicæ fuerunt Christianorū
gaudia, unde magnum qvocunq; festum *Pascha* in qvibus-
dam provinciis vocatum fuisse ex observatione Durandi *lib. 7.
c. 1. n. 25.* ac aliunde notat Carol. du Fresne *gloss. voc. Pascha.* Qvin-
imò non nescitur, qvomodo in memoriam Resurrectionis Do-
minicæ & gratiarum actionem ipsa dies, qvâ resurrexit Domi-
nus, non anniversario revoluto tantum mensum orbe, sed ci-
juslibet hebdomadis èadem primâ recurrente die, celebranda
fit. *vid. Baron. in annal. ad An. Ebr. 34. n. 52.* Unde in ejus etiam
Resurrectionis fidem & memoriam stantes neqve de geniculis
eo die adorare Christiani solebant *Tercull. de coronâ milit. cap. 3.
An. 20. seu ult. Concil. Nince.* Qvam in rem notanda est S. I-
gnatii Martyris ut ipsi tribuitur) Qvæstio & responsio ad ortho-
doxos n. ibi ex vers. latina: si genuum inclinatio, qværit, in pre-
cationibus, magis precatores Deo commendat qvam se stantes orent;
magiag; ea res divinam promovet commiserationem: qua propter die-
bus Dominicis & à Pasche seriis ad Pentecostem usq;, precantes genua
non flectunt! Et respondet: Qvia utriusq; nos oportuit jugem obti-
nere memoriam, & ipsius per peccata nostra lapsus nostri &
gratiæ Christi nostri, per qvam à lapsu resurreximus: eapropter
genuum per sex dies inclinatio, symbolum & nota est lapsus
per peccata nostri. Qvod verò die Dominico genua non in-
flectimus, signum est & designatio Resurrectionis, per qvam gra-
tiâ Christi, & à peccatis, & à mortificata in eis morte liberati su-
mus. O sancta igitur gaudia Paschalis Festi!

Salve festa dies toto venerabilis aeo.

Imò dum his hyems abiit temporibus, dum terra vernal floribus,
meritò meditamur, qvomodo, cum resloruit Christi ca-
ro, omnia floribus vestiantur.

Eccē

Ecce renascentis testatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona redisse suo.
Namq; triumphanti post tristia tartara Christo,
Iudiq; fronde nemus, gramina flore fauent.
Legibus inferni oppressis, super astra meantem.
Laudant rite Deum lux, potus, arua, fretum.
Qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat,
Dantq; creatori cuncta creatura precessit.

Ego vero quid aliquid monebo in his gaudiis Paschalis festi celebratisimis, Cives Academiarum carissimi! quam ut secundum Nazianzenum huic temporis fructificemus ac donum festivum offeramus vel parvum vel magnum, modo spirituale Deoque gratum, unusquisque pro virium suarum ratione. Dignum munus (sic merito cum Nazianzeno pergimus) offerre vix ipsi quoque angeli possint, illi inquam primi intellectuales & puri supernaque gloriae spectatores, ac tesles: Si tamen his quoque omnibus numeris absoluta Dei laudatio concedenda est. nos autem sermonem (piam meditationem) quo nec praecarius quicquam habemus nec praestantius, conferamus, praesertim Verbum laudantes ob beneficium, quod ab eo ad naturam sermone & ratione utentem profectum est. ita Nazianzenus in *vers. latin. Leonclavij*. Optima sane meditatio Paschalis est, quam ap. S. Theophilum Alexandr. Episcop. in epistolâ paschali ii. contra Origenistas legimus. Hujus viri pietatem imitabimur, Cives optimi. Cujus verba ut altius menti inhæreant, nobis omnibus animitus precor qui ad Angelorum metropolim nunc propter Resurrectionis Salvatoris gloriam lati prospicimus. Festinemus superne latitia festa celebrare & jungere nos Angelorum chorus, ubi corona & premia & certa victoria est & desiderata triumphibus palma proponitur. Nec differamus tumentibus carnis fluctibus liberati, inter diversa volupiatum hinc inde naufragia, clavum tenere virtutum, & post grandia maris pericula iutissimum celorum intrare portum. Quamobrem & eos, quos cassa vite bujus cura sollicitat, & in istar

instar trementium gurgitum perturbationum profunda circumsonant, quasi de somno gravi excitantes ad sapientiae provocemus lucra, ostendamusque eis veras divinorum sensuim divitias & inspirata sancte celebritatis gaudia: eoque omnis impresestiarum assumatur labor, ut & eos qui paululum negligentes sunt & nosmet ipsos eterna gloria preparemus.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus, ipso festo Paschatos
ANNO DOMINI MDCXC.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734002343/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734002343/phys_0020)

DFG

Ecce renascentis testatur gratia mundi,
 Omnia cum Domino dona redisse suo.
 Namq; triumphanti post tristia tartara Cl
 Undiq; fronde nemus , gramina flore fa
 Legibus inferni oppressis , super astra mea
 Laudant ritè Deum lux , polus , arua , s
 Qui crucifixus erat , Deus ecce per omniar
 Dantq; creatori cuncta crea t a prece w .
 Ego vero qvid aliud monebo in his gaudi
 bratissimis , Cives Academæ carissimi !
 Nazianzenum huic tempori fructificemu
 offeramus vel parvum vel magnum , m
 gratum , unusquisque pro virium suarum
 munus (sic merito cum Nazianzeno pergit
 qvoq; angeli possint , illi inquam primi i
 ri supernæque gloriae spectatores , ac
 his qvoque omnibus numeris absoluta
 denda est . nos autem sermonem (piam
 nec præclarious qvicquam habemus nec pi
 mus , præsertim Verbum laudantes ob be
 eo ad naturam sermone & ratione utentem
 Nazianzenus in vers. latin. Leonclavij . Optim
 schalis est , quam ap. S. Theophilum Alexandri
 paschali u. contra Origenistas legimus . Huj
 tabimur , Cives optimi . Cujus verba ut alii
 nobis omnibus animitus precor qui ad An
 lim nunc propter Resurrectionis Salvatoris
 cimus . Festinemus superne lætitia festa cele
 Angelorum chorus , ubi corone & premia &
 & desiderata triumphibus palma propon
 mus tumentibus carnis fluctibus liberati ,
 piatum hinc inde naufragia , clavum te
 post grandia maris periula tutissimū cœlo
 Quamobrem & eos , quos cassa vita buju



the scale towards document

sti cele
 undum
 festivum
 & Deoq;
 Dignum
 vix ipsi
 & pu
 tamen
 conce
 m) qvo
 onfera
 vod ab
 est . ita
 itio Pa
 pistolâ
 m imi
 ereant ,
 tropo
 prospি
 ere nos
 oria est
 differa
 i volu
 m , &
 ortum .
 at , &
 instar

Image Engineering Scan Reference Chart TEC3 Serial No. _____